

R. 52. Pl. x. 15.

22
PROLVSIO ACADEMICA
DE
V S V F O R E N S I

SENTENTIAE
CERV. SCAEVOLAE ICTI

IN
L. XXXVIII. D. de Aur. Arg. Mund. Leg.

Q V A

DISPV TATIONES

IN
CAPITA IVRIS CONTROVERSA

ORDINIS ICTORVM ILLVSTRIS GRATIA

I N S T I T V E N D A S

I N D I C I T

CHRISTIANVS HENRICVS BREVNING

I. V. D. ET PROFESS. PVBLIC. SOCIET. LITER.
DVISBURG. SOCIVS

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMI



PROFLASIO AGVDEFINICIA
ASA FOBRENSI

CERVA ACCELAQIAE ICGAL
SANTETATIA

ET TITANUM D. M. A. M. M. M. M. M.

DISPUTATIONES


CATHOLICARIB COCONTROVERSI

ORDINIS CLERICORVM HILARIOIS GAVATI

INSTITUTANDES

CHRISTIANUS HENRICAS BREUANNING

LACERATO PROCLAMATAE SOCIESTETE

EX OFFICINA LUDWIGI HENRIKII




DE
V S V F O R E N S I

S E N T E N T I A E
C E R V . S C A E V O L A E I C T I

I N
L . X X X V I I I . D . de A . A . M . Leg.

§. I.

Quamuis nunquam mea mens sit, sapientioribus atque senioribus criticis debitam laudem denegare, tamen non dubito, quin recte et ex merito illi taxandi sint, qui praeter necessitatem atque omnem verisimilitudinem graventur in fragmenta antiquorum ICTORUM, quippe corrupta ubique legum comprehendunt capita, quae tamen nunquam a librariis ullam vim passa sunt. Neque censoriam effugient notam illi, qui in emendandis locis vere corruptis omnem omnino mo-

* 2

destiam

IV

destiam, optimam critici virtutem negligunt, suosque ingenii partus spurios mira quadam audacia, aliis obrudunt atque commendant.

§. II.

Male itaque actum est cum SCAEVOLA in L.38.π. de Aur. Argent. mund. legat. Verba ipsius quae eruditorum virorum ingenia exercuerunt, haec sunt: *Quae situm est, cum in eo templo non nisi aut aerea aut argentea tantum sint dona: haeredes Seiae vtrum ex argento, an ex auro signum ponere compellendi sunt, an aereum?* Respondit, secundum ea quae proponerentur, argenteum ponendum. Haerent interpres, cum auri mentio, cuius tamen in primo membro nulla facta erat, in altero demum iniiciatur. Vulgatae Editiones legunt: *non nisi aurea aut argentea tantum.* Placeret lectio, nisi Thusci codicis autoritas adesset, atque si ratio quaedam dari posset, unde in altero dein membro aereorum donorum mentio perita esset, et nisi demum probata ex vulgata lectione ipsa dein Scaeulæ responsio ratione destituta videtur. Quare Io. Wilb. HOFFMANN in Meletem. ad π. b. t. aliud quaerit remedium, neque Vulgatae neque Florentinae lectioni calculum addit. Ut ergo aurum quoque aduoget, retrograda quadam crisi, non sine summa violentia, summaque audacia sic scriptum fuisse coniicit: *aut aerea AVt argentea tantum.* i. e. aut aerea, aurea aut argentea tantum. Sed sicut illa saeuitia, qua dilaniatus misere Ceruidius, nec excusationem nec veniam mereatur, ita praeter alias difficultates, quas in sua emendatione non obseruauit Hoffmannus, ea obseruanda fuisse, cur Scaeula inter τὸ aera et τὸ aurea non expresserit disiungendi particulam, quod reliqua verba exigere videbantur.

§. III.

Saltuum vero caput nostrum pronunciauit Iac. CVIACIVS ad Scaeol. Resp. Lib. b. l. Et recte quidem, quanquam Cuiacius non recte neque satis accurate ad legum praecepta exponat. Putauit Iaco-

V

Iacobus noster ideo Scaeulam argenteum ponendum haeredibus iniunxit, quod medii generis esset inter aureum atque aereum donum. Ut suam probet causam, testem aduocat VLPIANVM in L.37. π. de Legat. I. qui Caii Cassii vestigia premit. Scribit: *Legato generaliter reliquo, veluti hominis, id esse obseruandum, ne optimus vel pessimus accipiatur.* Sed obseruare debebat, hoc in fragmento de legato generis sermonem suisse, quale quid apud Scaeulam non deprehenditur. Neque grauiorem autoritatem suaq; interpretationi conciliabit Cuiacius, prouocans ad autoritatem IVSTINIANI In L.35. §. 1. C. de donat. Sancuit vox Augusta: *Si redditum certum ex possessionibus donauerit, non tamen nomina possessionum edixerit: necesse habere de sua substantia fundos tradere tantum redditum inferre valentes, quantum in donatione posuerit: in talibus tamen agris, qui nec omnibus, quos habet in possessione, anteponuntur, nec deteriores omnibus sunt, sed status mediocris inueniuntur.* Sed penitus haec aliena causa est a Scaeulae. Ipsi videamus, quid verius quidue melius sit

§. IV.

Resert ICtus Seiam condidisse testamentum, cui imposita erat cautio: **SI MIHI PER CONDITIONEM HUMANAM CONTIGERIT, IPSA FACIAM, SIN AVTEM; AB HAEREDIBVS MEIS FIERI VOLO IVBEOQUE SIGNVM DEI EX LIBRIS CENTVM INILLA SACRA AEDE ET IN PATRIA STATVI SVBSCRIPTIONE NOMINIS MEL.** Verba, *sin autem*, iam aliquoties interpretibus obscura visa fuere; rem vero teggisse mihi videtur *Aut. AVGVSTINV S Emend. et Lecl. L. II. c. 1.* qui illud *sin explicat per Graecissimum*, ut idem, ac *sin minus* significet, quem significatum in Graecis verba habent εὖ δε, et conuenit quam maxime ea interpretatio menti testaticis. Moritur ergo Scia, neque ipsa signum Dei facere curauerat, neque quale ab haeredibus praestandum testamento expresserat. Incumbebat itaque haeredibus signi ponendi cura. Quaerunt

* 3

atque



VI

atque consulunt; quale signum pondendum? Tacite praemittit Scaeula, cum aedas sacra demonstrata sit, attendi oportere, qualia signa atque dona in illa sacra aede posita. Patebat in eo delubro non *aurea*, sed aut *argentea* aut *aerea* tantum inueniri. Excludit reliquias fabricandi materias *tō tantum* atque dein particulae *non nisi*. Venit deinde ICtus ad ipsam quaestio-nem: *Quae situm est*, inquit, *cum in eo templo, non nisi aut aerea, aut argentea tantum sint dona, heredes Seiae vtrum ex argento, an ex auro signum ponere compellendi sunt, an aereum?*

§. V.

Si tanta in emendandis veterum fragmentis audacia committi posset sine crimen, ut verba, quae minus commode et ad propositam iuris quaestionem concinne posita sint, in alium transferre locum liceret, auderem affirmare, Scaeulam nostrum ita scripsisse, aut si magis placet, rectius et emendatus eundem ita scribere debuisse: *vtrum ex argento, an ex aere signum ponere compellendi sunt, an aureum.* Defenderem hanc lectionem, quod a librario facile verba *auri aerisque* inter se permutari potuissent, quippe et re et nomine sibi admodum similia. Augeret coniecturae verisimilitudinem, quod in eo templo argentea aereaque signa inueniebantur, quae et prius sibi subiunxerat inuicem Ceruidius, supra addita praeterea quaestione, *an aureum ponere donum* forsan heredes oporteat. Sed cum nostrum non sit, ICtis priscae aetatis leges scribere, ad quarum numeros ipsis verba emetienda fuissent, ita magis conuenit, si quid ab ipsis scriptum sit, in veram eorum mentem inquirere; ad rem ipsam potius nos conuertamus.

§. VI.

Duae mihi videntur quaestiones propositae a Ceruidio. I. Verum solum ex aere, aut argento signum fieri oporteat addita causa, quod in ea aede aereae et argenteae solum deprehendentur

rentur Deorum statuae. II. An vero herendum sit, aureum, quale quidem ibi non inueniebatur, signum offerre Deo, moti forsitan ea causa, quam habet PAVLVS in L. 12. π. de R. I. Respondet ad utramque Scaeula, ad primam expresse, tacite ad alteram. Ait enim: *Secundum ea, quae proponerentur, argenteum ponendum esse.* Liberat videlicet a maximo sumtu aurei ponendi signi heredes, causamque latitare arbitror in verbis: *secundum ea quae proponerentur, i. e. si ea vera sint, quod in illa sacra aede saltem argentea et aerea non aequae aurea custodiantur signa, nec testatrix Seia materiae mentionem fecerit, bene vero templum demonstrauerit.* Tacite itaque, negat aureum ponendum esse. Expresse vero ad priorem questionem respondet; *argenteum ponendum esse.* Supposuit causam Scaeula in disputando acutissimum, ut solet. Evidem aliquam causam petere licet ex PAVLO c. l. qui vult, *vt in testamentis testantium voluntates plenius interpretentur,* quod GYPHANIO in *Exposit. Reg. Iur. c. l.* idem est, ac benignius. Sed nec haec mihi satisfacit causa.

§. VII.

Quapropter arbitror, ex demonstrandi voluntate causam petendam. Mentio enim aedis sacrae quasi demonstrationis causa videbatur apposita, ut ad rationem donorum, quae in ea aede erant deposita, signum dari perficique voluerit testatrix.

§. VIII.

Sed haec clara, Vrgeo viuum totius observationis. Quid enim ad nos Deorum signa, quid delubra, quid reliqua? Evidem non dubito, apud nos verborum Scaeulae in ipso themate perfectam esse posse applicationem. Fac enim Titium testamento statuisse, ut heredes calicem patinamque inciso testatoris nomine ecclesiae suae parochiali tanquam legatum inferrent. Fac amplius in ea aede saltem ex argento consecutum nec inauratum depre-



VIII

deprehendi calicem , alium ex aere aut stanno . Quid prohibet quo minus dicamus cum Scaeula , secundum ea , quae proponerentur , ex argento tantum et ne inaugratum quidem calicem et patinam ab heredibus offerendam . Et sic in aliis .

§. IX.

Venio ad ea , propter quae haec scripta sunt . Hortabantur me atque rogabant quidam disciplinae meae alumnorum , qui sua priuatum me duce atque arbitro ingenia exercebant , vellem iisdem praesto esse in edendis diligentiae suaे publicis specimini bus . Quamuis enim nolle illi addicere labori , qui praeterea aliis laboribus obrutus essem ac pene oppressus , cum tamen ii me rogarent , quorum et amicitia et consuetudo iucundissima , consilium cepi , precibus illorum locum concedere . Impetravi ergo ab Illustri ICtorum Lipsiensium Ordine instituti licentiam . Ne vero eosdem , qui sumtus copiosioris solenniorisque libelli Academici praestare nequeunt , scheda vel vacuo titulo ad Themidis Cathedram ducam , *Commilitonis Consultissimi egregie laudandum institutum adeo placuit* , ut cum petenti bus auxiliu promiserim , illius diligentiam egregiam et satis laudabilem sequi et imitari ceperim . Elaboravi iam ante quosdam annos Observatiunculas ex diuersis adeo foreni iuribus desumptas . Has in minores ad plagulae formam redactas disputationiunculas diuisas singulis dedi , cumque varia sint inter se non cohaerentia capita controversa , loco thesiū ad disceptandum propositarum ea elegi cum commilitonibus communicanda . Ut ergo horum edendis specimini bus *COMMILTONVM Generosissimorum ac Nobilissimorum corona adfistere velit* , humanissime rogo . Scribebam Lipsiae Prid . Kal . April . ANNO M D C C L X I I .

ULB Halle
006 385 451

3






Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-289454-p0012-2

DFG



R. 52. Seite. 15.
22
1762, 19.

PROLVSIO ACADEMICA
D E
V S V F O R E N S I
SENENTIAE
CERV. SCAEVOLAE ICTI
IN
L. XXXVIII. D. de Aur. Arg. Mund. Leg.
Q V A
DISPV TATIONES
IN
CAPITA IVRIS CONTROVERSA
ORDINIS ICTORVM ILLVSTRIS GRATIA
I N S T I T V E N D A S
I N D I C I T
CHRISTIANVS HENRICVS BREVNING
I. V. D. ET PROFESS. PVBLIC. SOCIET. LITER.
DVISVRG. SOCIVS

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMI

